Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 449
Quelle:
Copyright:

fratelli, nella presentia della vostra caritade, mi viene a memoria lo smisurato amore &c. Itaque eruditorum *Italorum* sit, de singulari hoc Interpretum suorum certamine cognoscere, quibus utinam de genuino *Origenis* foetu, et non de spuria prole res fuisset, quae, ut in anterioribus Editionibus *lat.* puta *Parisina Ascensii* 1530. T. 3. f. 129. f. locum habuerit, exclusa tamen est e *Maurianae* T. IV. *Paris.* 1759. f. Vide hujus T. *Praefat.*

II. *fol.* 21. *Scala de la Contemplatione de quatro Gradi.* Ita praeoccupo e Dedicatione praevia, quae inscribitur: *Alle sancte Virgine de lo M.* (onistero?) *de S. S. de lo ordine deli P.* (redicatori?) et post multa pia vota incipit: *Essendo alle volte occupata in alcuno spirituale exercicio la mia tepida mente* &c. et non multo post: *Occorreme alo presente — vulgarizare vna scala de la contemplatione de quatro gradi, laquale composse sancto bernardo* &c. Ita olim creditum, sed extat haec *Scala Claustralium* inter *Bernardo* subposita Edit. *Maur. Vol.* II. T. V. *col.* 311. jam etiam *Augustino*, et *Guigoni* cuidam tributa. Ejus initium: *Occupato uno certo di de faticha corporale* &c. Interpres *Italus* non magis mihi notus, quam *Paitono*, qui Versionem hujus Tractatus memorat *Romae* 1681. 12. impressam, quae, si nostra est, emendatior certe prodierit. Vide ejus T. I. p. 165.

III. *fol.* 42. Expositio Doctrinae B. *Catharinae Senensis*, quam Suis dedit ante obitum. Autoris Praefamen incipit: *Secundo dice el morale Gregorio sacro doctore nel libro del dialogo: Le anime le quale passano de questa presente uita* &c. Ait haec se congessisse *pyu uolte sollicitato da la bona memoria dilecta in christo matre Sore Gentilina* &c. Documenta porro, quae refert, eadem sunt, quae legas in *Vita* Sanctae composita a *Raymundo de Vineis de Capua* ejus Confessario, L. III. c. 23. edit. *ital. Venet.* 1608. p. 217. 4. sed fusius digesta nobis, et ratiociniis fulta. Eorum initium: *Venendo aduncha ad morte La supradicta beata: La prima doctrina che alloro donao fo questa* &c. Nescio, an non ad eundem Autorem referri possint.

IV. *fol.* 87. *Incipit sermo in die sancto parasceue.* Initium: *Submersum est cor meum in memetipsa: quoniam amaritudine plena sum. Nescio ubi incipiam istam predicationem. Non uidetur mihi hodie dies predicationis. immo dies planctus et doloris* &c. Ideo Passionis historiam enarrat potius ignotus Autor, neque illam satis concinne. Ita inducit Deiparam ad aspectum excruciati Filii exclamantem: *Deus parcat sibi, qui dedit mihi tantam afflictionem, quia credebam istum filium meum! Iste non est filius meus. Filius meus est magnus, pulcher, speciosus pre filijs hominum.* Quibus auditis *Christus incepit plorare ex afflictione sua et matris.* Sed parcendum chartae.

V. *fol.* 116. Documenta pia distincta in Capita VII. videlicet